

SCRIPTA

Numéro Scripta : 5912

Auteur(s) : Jean, Évreux (évêque)

Auteur(s) : Gautier de Saint-Valéry, Rouen (archidiacre)

Bénéficiaire(s) : Rouen, Saint-Ouen (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1182, 26 juin

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Jean, évêque d'Évreux, et Gautier de Saint-Valéry, archidiacre de Rouen, mandatés comme juges délégués par le pape Lucius III, règlent un conflit entre l'abbaye Saint-Ouen de Rouen et le sous-diacre Fulbert à propos des choses que ce dernier réclamait par droit héréditaire dans la cuisine et dans la boulangerie de Saint-Ouen.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Combalbert Grégory, *Actes des évêques d'Évreux (XIe siècle-1223)*, à paraître sur E-Cartae(lien à venir)

Texte établi d'après a

Johannes Dei gratia Ebroicensis episcopus et Walterus de Sancto Walerico, Rothomagensis ecclesie archidiaconus, universis Dei fidelibus presentibus et futuris ad quos presens scriptum pervenerit, salutem. Quoniam habundante iniquitate caritas refrigescit et vacillat fides, cautum est, ut que semel in iudicio diffinitiva sententia sive amicabili compositione sunt decisa, scripture amminiculo roborentur, ne in redivivam possint redire contentionem. Nos igitur ex mandato domini Lucii pape tertii iudices delegati super quadam controversia diu inter abbatem Sancti Audoeni conventumque ejusdem monasterii atque Fulbertum subdiaconum agitata pro quibusdam que ipse Fulbertus in coquina Sancti Audoeni et in sutura pannorum ejusdem ecclesie sibi habenda jure hereditario vendicabat, prefatam contentionem in hac forma mediante concordia terminavimus et presenti scripto duximus commendandam, videlicet quod Sanson, eo tempore abbas Sancti Audoeni, et conventus ejusdem loci concesserunt et confirmaverunt predicto Fulberto et heredibus ejus ubicumque sint perpetuo jure hereditario habendum singulis diebus quicquid ad victum unius monachi in refectorio cotidie pertinere dinoscitur, tam in pane quam in omne genere potus et in omnibus quecumque conventus ibi in commune habuerit ; quod et ipse Fulbertus et heredes sui habeant hereditarie prebendaria duo avene recipienda singulis diebus de granario Sancti Audoeni apud Rothomagum ; insuper quod et idem Fulbertus et heredes sui jure hereditario habeant et teneant terram suam de Wigovilla cum omnibus ejus pertinentiis liberam et quietam ab omni consuetudine et exactione salvo abbatis relevagio. Quapropter idem Fulbertus et heredes sui, si summoniti fuerint, ter in anno servient abbati Sancti Audoeni de froco suo deferendo intra fines Normannie. Abbas quoque Sancti Audoeni de prefato hereditario homagium eorum recipiet ; predictus siquidem Fulbertus et Ricardus nepos suus pro ista concessione et conventionem sibi et suis heredibus firmiter tenenda omnibus aliis que in ecclesia Sancti Audoeni se jure hereditario habituros asserebant, abrenunciaverunt et coram nobis iudicibus tactis evangeliiis se nichil amplius inde reclamatos juraverunt ; et prescripta conventio sibi et suis heredibus teneatur. Ne igitur prenominata compositio aliqua maligna presumptione valeat in irritum revocari, presenti eam scripto et sigillorum nostrorum munimine

roboramus. Hoc diffinitum fuit coram nobis VI kalendas julii, anno incarnati Verbi Mo Co LXXXo Ilo, Henrico secundo in Anglie regnante, Normannie et Aquitanie ducatus et consulatum Andegavii possidente, domino Rotrodo urbe Rothomagensi existente pontifice. Predictae compositioni interfuerunt isti : Guarinus Ebroicensis ecclesie cantor, Gillebertus Lexoviensis ecclesie archidiaconus, magister Willelmus de Lambervilla, Willelmus de Vhein, Gillebertus prior Salicose, Ricardus capellanus domini Johannis episcopi ; de monachis : Radulfus de Sancto Amando Sancti Audoeni prior, Rogerus de Noion prior Sancti Michaelis de Monte Rothomagensis, Radulfus Morel, Willelmus de Bellomonte, Lanbertus sacrista Sancti Audoeni ; de clericis : Habraam scriptor domini Johannis episcopi, Richerus, Ricardus de Veteri Ponte, Walterus de Chasi ; de laicis : Enguerannus Danebolt, Godefridus de Quatreimares, Willelmus de Camera, Walkelinus de Novovico, Osbertus Vavassor, Willelmus Vavassor, Gaufridus de Novoburgo, Robertus de Ater, et alii plures.